

XVI
AD POMPEIVM GROSPHVM
Strophe Sapphica

Ōtium dīvōs rogat in patentī
Prēnsus Āguaeō, simul ātra nūbes
Condidit lūnam, neque certa fulgent
Sīdera nautīs ;

Ōtium bellō furiōsa Thrācē,
Ōtium Mēdī pharetrā decōrī,
Grosphē, nōn gemmīs neque purpurā vē-
Nāle nec aurō.

Nōn enim gazae neque cōnsulāris
Submovet līctor miserōs tumultūs
Mentis et cūrās laqueāta circum
Tēcta volantēs.

Vīvitur parvō bene, cuī paternum
Splendet in mēnsā tenuī salīnum ;
Nec levēs somnōs timor aut cupīdō
Sordidus aufert.

Quid brevī fortēs iaculāmur aevō
Multā ? Quid terrās aliō calentēs
Sōle mūtāmus ? Patriae quis exsul
Sē quoque fūgit ?

Scandit aerātās vitiōsa nāvēs
Cūra ; nec turmās equitum relinquit
Ōcior cervīs, et agente nimbōs
Ōcior Eurō.

Laetus in praesēns animus, quod ultrā est,
Ōderit cūrāre, et amāra lentō
Temperet rīsū : nihil est ab omnī¹
Parte beātum.

Abstulit clārum cita mors Achillem ;
Longa Tīthōnum minuit senectūs ;
Et mihī forsan, tibi quod negārit,
Porriget hōra.

Tē gregēs centum Siculaeque circum
Mūgiunt vaccae ; tibi tollit hinnī-
Tum apta quādrīgīs equa ; tē bis Āfrō
Mūrice tīnctae

Vestiunt lānae : mihi parva rūra et
Spīritum Grāiae tenuem Camēnae
Parca nōn mendāx dedit, et malīgnum
Spernere vulgus.